Blosii Matthiae: Qu. theol. de Christi Domini, Mediatoris generis humani, habituali gratia, etc.

K. 93/2/45

kal bodo

QVAESTIO THEOLOGICA.

DE CHRISTI DOMINI, MEdiatoris generis humani, Habituali gratia; ac Humanitatis eius salutiferæ, vera efficientia.

Pro loco inter S. Theologiæ Doctores, in Celeberrima Acad. Crac. obtinẽdo.

A

M. MATTHIA BLOSIO *Crac. in Sapientia Romana S. Th. Doctore, Ecclesiæ S. Floriani Custode.*

In Lectorio DD. Theologorum, Anno Incarnationis Dominicæ, M DC. XXVIII. Mense Die Hora

Ad disputandum proposita.

CRACOVIAE, *in Typographia Matthiæ Andreouiensis;*

IMPRESSA.

In Arma Illustrissimi.



VEram Ecclesiam vbi Sanctorum Oracla figurant,
Vatum, istis seruit candida Luna typis.
Antistes venerande tibi benè commodat istud,
Quando Ecclesiæ habes, Altaguberna tuæ.
Ferrea bellorum tempestas, ferreus imber,
Ingruit, & Petri, nauicula opprimitur:
Vos Lunę, quando hunc hostili sanguine pastum,
Ensem stringetis; Magna silentia erunt.

Illustrißimo ac Reuerendiß. Domino,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei & Apostolicę Sedis Gratia Episcopo Cracouien. Duci Seueriensi, Vniuersitatis Studij Generalis Crac. Cancellario digniss, &c. &c. omnimodam felicitatē.

INTER alia Theologi Christiani officia ac munia, Illustrißime Princeps, & Sacrorum Omnipotentis Dei fidelissime & dignissime Antistes. Hoc præcipuum & apprimè necessarium est, Ecclesiam Dei, Ouile Christi, Vineam speciosam & electam Domini Sabaoth, ac Doctrinam sanam tanquam monile Spiritus sancti preciosissimū in collo, sinu, ac pectore eius repositum, cum omni vigilantia custodire, & ab erroribus ac infestationibus Hæresiarcharum pœnè innumeris, ijsdemq; continuis, tueri & vindicare. Cui officio, ille, cùm strenuè non incūbit, statim ab Omnipotēte & Principali Spiritu, Ecclesiæ Dei Magistro, vocem indignationis & comminationis plenam, ad se directam, audiat est necesse. Quo in precio ac valore, apud te ignauum & socordem est, vinea electa & speciosa, Omnipotentis Dei, ex

hominibus sanguine Agni immaculati redemptis & Angelicis Spiritibus innumeris constituta? Cur singularis aper & ferus, te tacente & non resistente demolitus & depopulatus est eam? Animam tuam à te pro deuastatione eius, in pœnam requirã. Huic ergo officio, vt arduo & periculoso, ita simul omnifariàm glorioso; licet, etiam quantumuis tranquilla Ecclesia, ac eius statu paccato existente gnauiter incumbere debeat; tamen potissimum tempore hoc malo, quo Spiritus infernales maligni portis omnibus inferni apertis, omnimodis conatibus & persuasionibus suis, Hæreses & Hæreticos omnes (eos nempè ex quorum tyrannico grege quilibet singularem ferum & aprum, vineam Christi Domini ac Christicolas vastantem & depopulantem constituat se,) perditissimè iuuare contendunt & adnituntur. Hos enim isti nunc continuè stimulant, hos accendunt, hos armant, vt nauiculam Petri bellorum & versutiarum suarum fluctibus demergant, atque Christicolas depressos & subiectos, à vera Ecclesia, veroque Capite Christo Dño, æternum separent. Se verò ipsorum Caput, ex quo, malitiæ, versutiæ, & nequitiæ cumulus in eosdẽ defluat semper, tyrannicè in perpetuum constituant. Quæ omnia satis funesta, mala, ideò illis contingunt, quia vocem Spiritus sancti loquẽtis per os Ecclæsiæ Iesu Christi & Omnipotentis Dei veræ sponsæ, renuunt; vocem autem serpentis antiqui aduersarij generis humani capitalis & veternosi propensè audire, satagunt. Vsq; adeò, vt illud, quod olim à Spiritu Sancto prædictum & prænunciatũ, Sap. 7. est, *nunc ad*

viuum

uiuum & ad amussim, in istos & eorum deceptores quadret, Per inuidiã Diaboli, intrauit mors in vniuersum mũdũ, à cuius partibus omnes illi sunt, qui imitantur eũ. *Acrior quippè & crudelior mors ea est, quæ Corpora & Animas simul, mactat. Acriores & crudeliores partes eæ sunt, quæ contrà Christum Iesum, Mediatorem generis humani pacificantem, & instaurantem omnia potestate sua, quæ in cœlis & in terris sunt, vndiquáq; conspirant & impia arma sumunt. Et quæ, feritate sua barbara, ex Christicolis, viuis Iesu Christi Mediatoris membris, arida & penitùs emortua faciunt. Etsi enim maligni hi Spiritus infernales, omnes conatus suos in hoc semper insumunt; vt contrà verum Deum, ac eius Diuinitatem veram, per Hæreses & Hæresiarchas tendant; tamen præ omnibus ad hoc potissimum per ista funesta instrumenta sua collimant; vt Christo Domino Mediatori ac Redemptori generis humani, Verò Ecclesiæ veræ Capiti, obganiant & contrauenìant. Eadem illa inuidia eosdem ad hoc exstimulante & inducente: vt sicut eorum nemo, cui Christi Domini Mediatoris inter Deum & humanum genus, Gratia, Satisfactio, Meritum, Hyposthasis, Natura Diuina & Humana profuerit, prodesseq; potuerit, inuenitur; ita vicissim hoc vnum machinantur, & adnituntur, quàm maximè, vt nulli quoq; hominum dentur, darij; possint, qui ad vnionem Christi Domini & Sanctæ Trinitatis, tàm in Regno Gratiæ, quã in Regno Gloriæ, aspirare & peruenire valeant. In quo, nè ipsorum conatus perditissimi,*

 succes-

successus habeant, quin potiùs retundantur, & casi ac nulli euadant; Christi Domini Mediatoris generis humani, Naturas, Hyposthasim, Gratiam multiplicem, Satisfactionē, Scientiam, Meritum, hisq; similia & connexa, in spatiis Academicis, ipso Respōsionis meæ pro loco inter Doctores obtinendo solenni & expectato die propugnare decreui. Hoc autem totum, amplissimæ Dignitati atq; Auctoritati Illustr. C. V. tanquam basi & Petræ cuidam firmissimæ innixus, aggredior. Quis enim nesciat? Vocatam esse Ill. C. V. ab Omnipotenti Deo, vt inter Eum, ac Clerum, & populum vniuersum, ad Diœcesim Crac. pertinentem, Medius sit? orando, sacrificando, instruendo, erogando, Hæreticos vita eruditione ac moribus inculpatis frangendo, omnibus subueniendo, & æquitatem vbiq; locorum per Diœcesim strenuè asserendo atq; vindicando. Christi Domini vestigia secuta, vt sicut Ille bona gubernatione mediante, pacificat semper omnia quæ in cœlis & in terris sunt; ita quoq; Ill. C. V. bono regimine vtens, Patriam vniuersam, Senatū Regis, Equestrem ordinē, Ecclesias suę Diœcesis, Cōsanguineos, Clientes, & domesticos omnes pacificet. Vsq; adeò, vt hæreditas eius Sancta, & semper mansura, hi omnes Ill. C. V. pacifici, vocari iure meritò debeant, quemamodum re ipsa sunt. Augeat & foueat hæc dona tanta, & has tantas Gratias quam longissimo tempore Omnipotens Deus in Ill. C. V. (quemadmodum olim in D. Martino Turonensi, & Carolo Boromæo Mediolan. Episcopo in Ecclesiæ vsum auxerat) Vt ab illarū radijs; hoc est præ-

clarissi-

clarissimis vitæ Ill. C. V. totius actionibus, nos omnes illuminemur, accendamur, & in statu bono perficiamur. Irriget Ill. C. V. totam quoad Corpus & quoad Animam in dies magis ac magis viuifica Christi Domini Crux atque Passio, quam Ill. C. V. in Polonia, & potissimum Cracouiæ obliuionis quodam situ obduci & obliterari incipientem, à Sanctissimo & Maximo Pōtifice ex Vrbe Sancta rediens, sedulò non tantùm in Ecclesiarum parietibus, sed etiam in cordibus hominum, quæ templa Spiritus Sancti sunt renouare, imò intimis recessibus ipsorum perpetuò infigere, adnixa est. Quo ipso Ill. C. V. effecit, vt vsq; ad Regni Gratiæ, ac mundi finem, per Sancti Francisci Fratres & alios Confraternitatis Dominicæ Passionis salutiferæ socios, (nempè Ill. C. V. cooperatores) Arboris Christi Domini Crucis preciosæ, in cordibus hominum fidelem plantationem, & ex eadem fructuum vitæ æternæ productionem & collectionem, habitura sit. Quo nomine, semper honos Ill. C. V. apud omnes, nomen, laudesq; in perpetuum manebunt. Et, si apud eos omnes, qui gubernationē Ill. C. V. admirantur, & quàm diutissimè durare peroptant; non minùs apud me cuius hactenùs studium omnne in hoc positum fuit, & est, vt à felicis & auspicati Ill. C. V. ingressus in Episcopatum Cracouiensem initio, vsq; ad extremum vitæ spiritum, omnis mea Ill. C. V. desudet pro virili, industria. Huius officij ac studij mei continui erga Ill. C. V. hunc etiam præsentem ingenij mei partum, tanquam, fidelem, veracem, & plenum obseruantiæ meæ

perpe-

perpetuæ erga Ill. C. V. testem tertium, destino & mitto. Mitto autem, vt rerum diuinarum Doctor & Professor ad Personam, longè omnium Ampliss. in perfectionis apice constitutam, cui officium à Christo Dño Legulatore, Mediatore, & Redemptore impositum est. Laxare retia in hominũ peccatorũ, infidelium, & Hæreticorũ capturã, & ducere, in altum disputationũ, Res fidei propugnantiũ. *Tuæ Clementiæ & Sapientiæ, Jllustr. Princeps, & Senator erit. Non solùm, vt mea omnia in Academia Cracouiensi integra ac salua sint, curare; sed etiam ne semper in tenebris conticescam, prouidere. Proprium quippè Chrisostomo S. teste Episcoporum ac Principum post Deum est, ingeniorum lucernas accendere & accensas in candelabris preciosis easdem reponere. Cum enim in perfectionis apice constitutus, Apostolorum Hæres, Seueriæ Dux, Cracouiæ Præsul, Regis & Regni Senator, & Academiæ Dignissimus Cancellarius sis, omnia tibi vt obediant & pareant; est necesse. Cooperante ad hoc, Christi Domini Legulatoris, Mediatoris, & Redemptoris, multiplici Gratia & Potẽtia, cuius est proprium instaurare omnia quæ sunt in cœlis & in terris; procurareq́; salutem omnium, & maximè fidelium, vt vitam habeant & abundantius habeant. Optimè & quam diutissimè I. C. V. valere peropto. Ex Maiori Acad. Crac. Collegio. Die Mensis Anno Domini, 1628.*

Quæſtionis Corpus.

AN Chriſtus Dominus, Mediator Dei, & hominum, ſecundùm humanam naturam, Hypoſthaſi Verbi Diuini, ſine perſonalitate propria vnitam; capax fuerit Habitualis Gratiæ, ex præſentia Diuinitatis in Anima eius humana præuia diſpoſitione liberi arbitrij ipſius, cauſatæ; in eſſe Gratiæ ſimpliciter & ab Intrinſeco Infinitæ, ſecundùm quam, non ſolùm ipſe ad ſe plenitudinem habuit, ſed etiam hominum & Angelorum Caput hoc modo fuit, vt in homines quidèm, tanquàm in Corporis ſui miſtyci membra, per Pœnitentiam reparanda, mediante Humanitate ſua condigniſſima, Gratiam, Prædeſtinationem, Iuſtificationem, Motus ſpirituales, Vitam Gratiæ nutrientes, Gloriam Eſſentialem, hiſque ſimilia; in Angelos autem ſtantes, & nulli lapſui obnoxios, ſola Accidentalia dona, & Præmia varia; Phyſicè ſeu ad modum Cauſæ Phyſicæ; influxerit nec ne?

Conclusio I.

CHristus Dominus, Mediator Dei, & Hominum est.

COROLLARIA.

1. *Errant Eutychiani, Nestoriani, & omnes illi Hæresiarchæ, qui Christo Domino Mediatori, vel Vnam naturam tantùm, vel cum duabus naturis, Hyposthases duas, vendicant.*

2. *Christus Mediator naturam Diuinam, & naturam humanam sola Hyposthasi Diuini Verbi terminatam ac completam, possidet.*

3, *Christus Mediator, per humanitatem Diuinitati iunctam, ac Hyposthasi Verbi terminatam, officium & munus Mediatoris executus est, exequitur, & vsq; ad Regni Gratiæ finem, exequetur.*

4. *Christus ratione humanæ naturæ ac vt Suppositum naturam humanam terminans, Mediator est; vnde & Propitiator in sanguine.* ad Rō. 4. *C. vocatur.*

5. *Mediatoris officium & munus multiplex est; sanctissimam Trinitatem manifestare, Mereri, satisfacere, Ianuam cælestem per peccata clausam aperire, Peccata Originalia & Actualia mortalia abolere,*

Genus

Genus humanum Deo reconciliare, Euangelij legem nouam fundare & promulgare, Sacramenta instituere, Effectus Sacramentorũ extra Sacramenta virtute Eminentiæ ac Excellentiæ operari, Sacramentis vt Gratiam contineant, & eandem vera virtute instrumentali attingant & efficiant, virtutem conferre, per Gratiam Ordinis Diuini rem, potestate ordinaria homines lapsos iustificare, in vitam æternam efficaciter & infallibiliter transmittere; & deinceps.

6. *Christus Dominus, sicut per Humanitatem à Gratia eleuatam merebatur, Satisfaciebat; ita & per eandem vt sic acceptam, Mediatoris munus præstabat, quale purus homo, ac pura creatura rationalis, quamuis Gratia & Charitate informata, exequi condignè nec potuit, nec potest;* Vnde ad Timot. 3. & ad Hæbr. 9. habetur. *Unus est Mediator Dei & hominum, homo Christus.*

7. *Ministri Sacramentorum, siue Papa, siue Episcopi, siue Presbyteri; licet Sacramenta verè conficiant, & fidelibus dispensent; tamen quia interiores Sacramentorum influxus non operantur, quos solus Christus Dominus, & in Sacramentis, & extra Sacramenta Legis Nouæ, in membris suis*

 opera-

operatur; Mediatores in rigore & in omni proprietate, vocari nequeunt; vnde de ſolo homine Chriſto Mediatore C. firmiter de ſumma Trinitate, & Fide, Catholica ſtatuitur; Eius vnam etiam ſtillam Sanguinis, redimere ac ſaluare genus humanum, ob coniunctionem ad Verbum, potuiſſe.

Concluſio II.

CHriſtus Dominus ſecundùm humanam naturam, capax fuit Habitualis Gratiæ, ex præſentia Diuinitatis in Anima eius rationali, diſpoſitione liberi Arbitrij mediante, cauſatæ.

COROLLARIA.

1. *Chriſtus Dominus opus habuit Habituali Gratia, vtpotè ſine qua Anima eius rationalis; nullo modo Deum propinquiſſimè per cognitionem & amorem attingere, neque Actiones humanas ſimpliciter ſupernaturales edere, potuiſſet.*

2. *Chriſto tamen Domino, ex parte Suppoſiti operantis, non erat Habitualis Gratia ſimpliciter neceſſaria ad id, vt operationes eius humanæ, eſſent gratæ perſo-*

personali gratitudine, atq; ex hac parte præmij supernaturalis meritoriæ

3. Christus Dominus, ita capax fuit Habitualis Gratiæ, vt tamen capax non fuerit Filiationis Adoptiuæ, velut purus homo & Angelus; sed solùm Filiationis Diuinæ Naturalis, ad quam prædestinatus fuit; sicut neq; capax fuit, Fidei, Spei, Pœnitentiæq; virtutum.

4. Christus Dominus, quia fuit ad Filiationem Diuinam Naturalem prædestinatus, ideò Angelorũ est Causa prædestinationis, Finalis & Exemplaris, Hominum verò etiam iam Effectrix, iam Formalis, & Exẽplaris, iam & Media seu Meritoria Causa est.

5. Christo Domino collata est Habitualis Gratia in instanti Conceptionis, post præuiam dispositionem liberi Arbitrij; sicut & adultis confertur.

6. Esto Christus Dominus, disposuerit se in primo instanti Conceptionis ad Habitualem Gratiam, tamen eam non promeruit; vti neque Vnionem suam Hyposthaticam, Essentialem Gloriam, Beatitudinis Animæ suæ continuationem; imò neq; Scientiam Infusam, vel Virtutes Morales Infusas promeruit, nec promereri potuit.

7. *Christi Domini Habitualis Gratia, posterior fuit Vnionis Gratia, non ordine temporis, sed naturæ; fuit verò ex præsentia Diuinitatis causata in Anima eius, sicut ex solis præsentia lumen in aëre causatur.*

Conclusio III.

Christi Domini Habitualis Gratia, in esse Gratiæ, Simpliciter & ab Intrinseco, Infinita est.

COROLLARIA.

1. *Gratiæ Habitualis Christi Infinitas, ab Intrinseco attendi debet, non ex acceptatione sola Diuina, sed ratione Suppositi in quo est; hoc enim, ita ad Actionem concurrit, per se, Vt infinitas quam ab eo desumit Gratia, Intrinseca habenda sit.*

2. *Infinitas hæc Gratiæ Habitualis Christi Domini, secundùm Dignitatem Moralem & ab Intrinseco, saluatur benè sine aliquo modo infinito intrinseco, frustranee & non de mente D. Thomæ in eadem Gratia ab aliquibus posito.*

3. *Gratia Habitualis Christi Domini in esse Physico considerata, ita finita habenda est, vt augeri*

possit

possit, sicut & in hominibus alijs, neque enim est alterius Speciei hac in parte, à Gratia Habituali cuiuslibet hominis ad Speciem humanam pertinentis.

4. *Adhuc tamen Christi Domini Habitualis Gratia, est infinita simpliciter, quia in esse moris, sine aliquo addito, infinita est.*

5. *Christi Domini Habitualis Gratia, secundùm dignitatem, Moralem ita infinita censenda est, ut à Deo Gratia maior produci, etiam neque per potentiam eius absolutam, potuerit.*

6. *Gratia hæc Christi Domini, dicitur Connaturalis eidem, non quod sit Propria Passio Vnionem eius Hyposthaticam consequens, sed quia debebatur Christo Domino ac Naturæ eius Humanæ, quâ ratione est, Deus Homo.*

Christi Hominis, Filij MARIÆ VIRGINIS, Gratia Hyposthatica illa censenda est, per quam Humanitas eius atomica, ad Esse Diuinum, Personale, Naturale, ac Essentiale, Verbi Diuini, accipiebatur. Habitualis autem, per quam Anima eius humana incomparabiliter gratior omnibus Creaturis, reddebatur; & eius Actiones Formaliter supernaturales, & proximè attingentes Deum, efficiebantur.

Con-

Conclusio IV.

CHristus Dominus, Gratiam Habitualem tantam habuit, vt per eam, & ipse plenus fuerit, & in homines, tanquam Caput in membra per Pœnitentiam reparanda, medianṫe humanitate sua, Gratiam, Gloriam Essentialẽ, hisq; similia; In Angelos autem bonos & persistentes, sola Accidentalia dona & præmia Physicè influxerit.

COROLLARIA.

1. *Christi Domini Habitualis eadem Gratia; quâ replebat ipsũ, à Doctore Angelico, Gratia Particularis Personæ dicitur; quâ autem replebat & replet Angelos & homines pro capacitatis & dispositionis eorum diuersitate, Gratia Capitis ab eodem vocatur.*

2. *Christus Dominus secundùm Gratiam Habitualem, sibi quà est Deus Homo debitam, est Caput Hominum & Angelorum, ad Militantem, Satisfacientem, & Triumphantem Ecclesiam, ceu Mysticum Corpus suum, pertinentium.*

3. Christus

3. *Christus Dominus, etiam per Humanitatem vt instrumentum ac organum Diuinitati coniunctum, Capitis officium exequitur.*

4. *Capitis officium est, influere in membra quorũ est Caput, vitam Gratiæ, Prædestinationem, Iustificationem, Miracula, Gratias gratis datas, Prophetiam, Spirituales Motus vitam Gratiæ conseruantes, & augentes, Donum Perseuerantiæ, Gloriam, & his similia dona ac præmia, iam in vsum Ecclesiæ, iam etiam in honorem Dei: non tamen eodem modo hæc, cum Mysticum Caput sit, influere.*

5. *Christus Dominus, et si sit caput hominum, & quantum ad Corpora, & quantum ad Animas, principaliùs tamen quoad Animas: vnde secundùm statum innocentiæ eatenùs fuit solum Caput hominum, quatenus eis conferenda fuit Gratia, ex Meritis Mediatoris, ac quatenùs is ipse status, per Adæ & Euæ Pœnitentiam, ac eius posterorum, fuit reparandus, ac reparatus postea de facto est.*

6. *Christus Dominus, inquantum est Caput Hominum, influit in homines ad Corpus suum Mysticum pertinentes, per Humanitatem à Gratia eleuatam, Gratiam, & alia dona, non solùm moraliter*

& Meritoriè, sed etiam ad modum Causæ Physicæ; absq; eo tamen, quòd Humanitas eius sit Principalis Gratiæ Causa, cùm instrumentalis solùm sit.


7. Christus Dominus, quâ Deus Homo; ita Angelorum est Caput, vt nihilominùs non influat in eosdem Gratiam Habitualem, aut Essentialem Gloriam, sed solùm illuminationes permultas ac continuas, de Mysterijs Gratiæ, & Præmia Accidentalia varia: & illas quidem, vt Principalissimo Doctori, ac Ecclesiæ vtriusque Sponso, hæc verò vt Iudici Vniuersorum, conferre & influere, ex officio incumbit.

8. Christi Domini, Habitualis Gratia, eleuabat Humanitatem Eius condignissimam, ad interponendum Meritum; ratione autem Suppositi Diuini, meritum Eius erat simpliciter infinitum.

9. Meritum Christi Dñi, secundùm legem ordinariam, & cum omni proprietate, iamquo ad esse Actuale, iam quoad Possibile infinitum Simpliciter fuit.

10. Præmium quoque eius omne fuit his modis similiter infinitum: & Actus etiam per quos meruit illud, erant infiniti valoris & precij. Meruit autem, Sibi, Hominibus, & Angelis.

Ad Cracouiam, Sedis & Coronæ Regiæ Vrbem, Authoris Patriam: ACADEMICVS.



QVanta Thomas, vel quanta Bonauentura, vel ingens,
Orbi Augustinus, commoda præstiterunt:
Tanta in Sarmatiæ populo, BLOSII *Enthea Virtus*
Efficit: vt Christi dogmata magna canit:
Hac doctrina Arium, crebro velut ariete, tundit;
Falsis, obturat Sacrilega ora, viris.
Quid, fæta inganijs iactabis Roma? videres
Vrbe Craci, natos: Romulidum similes.

CHristo Domino Mediatori, & Diuinissimę Trinitati, quæ Spes est nostra, honor noster, & Salus nostra, sit laus, gloria, potestas, & imperium, in seculorum secula.